

28. Come li lanzinech haveano compito di passar Po et erano in tutto al numero 16 milia, et dicevasi tra loro tenderiano verso Bologna. Et in le altre lettere scrive dubitando di Lignago. Quelli homeni de li haveano fatto 100 homeni a sue spexe per custodia di quel loco di soi danari, per zorni 12.

Da Ruigo, del Podestà et capitano, di 28.
Del passar Po di ditti lanzinech.

194 · *Serenissimi, Christianissimi ac potentissimi Francorum regis ad illustrissimos principes Romani Imperii Electores, caeterosque Germaniae potentatus apud Spiram congregatos, epistola ad comunem omnium principum Christianorum pacem amplexandam immanissimosque turcanicae gentis conatus reprimendos hortatoria.*

195 · Franciscus Dei gratia Francorum rex etc., carissimis ac dilectissimis consanguineis ac confoederatis nostris Electoribus, caeterisque principibus Sacri Romani Imperii apud Spiram congregatis, salutem.

Redditis a tabellario vestro litteris, nihil magis ex animo nobis faciendum putavimus, quam ut primum petitioni vestrae annueremus, liberumque nunciis vestris eundi ad destinatum iter, ac redeundi facultatem concederemus. Deinde optaremus ut quia nobis eundum esset, eam vos in partem, quae non multum ab itinere vestro aberit conferretis. Multa enim sunt ex usu Christianae Reipublicae, quae uti cognoscimus ita eorum vos participes facere communi utilitati consentaneum esse arbitramur. Coeterum, posteaquam nunciatum nobis fuit acerrimum fidei nostrae hostem Pannoniae fines cum validissimo exercitu ingressum, expugnatisque aliquibus oppidis, Rege ingenti praelio superato, atque extincto, universum illud pene regnum occupasse equidem, ut par erat, tantam Christianae Reipublicae iacturam graviter ac moleste tulimus animo. Si quidem revolvebamus quantum Christiana religio nostris temporibus detrimenti acceperit, occurrebat (ut prisca omittamus) munitissima Belgradi civitas proximis annis expugnata, nobilissima Rhodiorum insula vi capta, nunc maximum quod supererat Christianae Reipublicae propugnaculum in hostium manus devenisse, facile esse prospiciebamus potentissimo hosti ex Pannonia in Austriae ducatum victorem exercitum traducere, quem neque praesidia quae nulla ibi sunt, nec validae munitae-

que urbes, quas provincia illa nullas habet, retardare poterant, quasi (quod Dii nolint) occuparet. Quid de universa Germania sperandum nobis esset vi dissentibus inter se populis, animisque multorum nova religione imbutis, illud vero longe magis animus nostrum angebat, quod in tanta rerum nostrarum perturbatione nutantem iam Christianam religionem omni prorsus auxilio destitutam intuebamur, ferrum quod in immanissimos hostes stringendum erat, validissimae vires quae in ipsos vertendae forent, sapientissima consilia quibus non pro nostrarum rerum tuitione tantum sed ad ipsum poenitus debellandum utendum esset, in nosmetipsos converti, saeviri, in nostramet viscera christianum sanguinem effandi, scilicet ut validiores in nos hostium ipsorum vires sentiamus, odiis, simultatibusque pugnari, ut concordēs inimicorum animi nostra eripiant, bello armisque exiguum terrae spatium multo sanguine quaeri, ut his interim regna, insulas, provinciasque nostras occupet, quodque longe gravius existimabamus, pudetque dicere. quo magis Christiana religio periclitatur, quo propius periculo accedimus, eo magis gravioribus inter sese odiis animi concitantur. Equidem nos, qui longe haec prospiciebamus, nihil omnino praetermisimus quo afflictis rebus nostris remedium adhiberetur, Caesarem designatum Imperatorem hortati diligenter fuimus, rogavimus atque obtestati sumus, ut depositis simultatibus Christianorum principum concordiae studeret, suum esse si vellet, honestis conditionibus quas proponebamus, comunem omnium pacem componere, prospicere ne dum aliena cupidius appeteret, sua ammitteret, Deique Optimi indignationem contraheret, quod ad nos attinerit, ne quid nunc Christianorum tranquillitati impedimento esset. Quicquid iure optimo in Italia ad nos pertinebat, remittebamus. At is, tametsi aequas pacis condiciones nullas aspernari se dixerit, dum tamen variis quotidie dilationibus tempus teritur. Interea, vastantur Christianorum agri, depredantur urbes, vagantur incendia, caedes committuntur, hostium fines propagantur, validissimasque eorum vires in dies augentur; quae omnia quum in hanc usque diem frustra a nobis tentata fuisse cognovissemus, nihil nobis occurrebat, quod amplius cum eo experiremur. Etenim, si imminens Austriae periculum, quae ex antiquissimo progenitorum suorum patrimonio ad eum devenit; si universa Germania quae in aperto discrimine versatur; si miserrima sororis sororique sui conditio, quibus regno Pannoniae pulsus victus sibi apud externos principes quaerendus

(1) La carta 194 è bianca.